

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Georg Funck Gotzchalcus Tranaeus

Academica Exercitatio Continens Selectas Quaestiones Politicas

Rostochii: Richelius, 1687

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448107>

Druck Freier  Zugang



R u phie 1687
Fūnccius, Georg
Tranacis, Gotzschalch.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732448107/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448107/phys_0002)

DFG

56

ACADEMICA EXERCITATIO
Continens
SELECTAS
QVÆSTIONES
POLITICAS,
Quas
FAVENTE NUMINE SUPREMO
Ampliss. Facult. Philos. ILLUSTRIS
AD VARNUM ACADEMIÆ
suffragio
Sub
PRÆSIDIO
M. GEORGII FUNCCII,
Reg. Pruss.
Amicæ Sympalæstritarum Collationi
fisit
GOTZCHALCUS
TRANÆUS,
SVECUS.
A. M. DC. LXXXVII. D. V. Martij.



ROSTOCHII,
Imprimebat JACOBUS RICHELIEUS, Ampl. Sen. Typogr.



בָּבֶן

QVÆSTIO I.

Num Ethica Aristotelis, in Schola Christianorum, sit toleranda?

§. I.

Non defuere olim, nec hodie desunt, multi Religiosuli, pleni sermonibus, ac turgidi præ Sapientiâ, qvi Pharisæos imitantes, culicem excolant, ac Camelum deglutiunt. Quid, inquit, Hierosolymis & Athenis commune est? Quid Ecclesiæ & Academiæ? Num decet spinas miscere rosis, aut zizaniam loliis? Impium est Ethnicum consulere, de moderandô vitæ cursu, ubi firmior adest sermo Propheticus & Apostolicus. Relegetur itaque Ethica Aristotelica, maneat Apostolica. Et hunc suum *errorem* dicam an *furem*, ut hi Homines eo melius defendere possint, plurima contra Philosophum producent argumenta, qvorum tamen hæc sunt præcipua.

I. Qvæ effata contradicunt oraculis divinis, ea homine Christiano sunt indigna. Sed effata Ethica Aristotelis &c. Ergo &c. Minorem, tribus maximè ex locis probant. Sic, inquit 2. *Ethicorum Cap. 1.* negat Aristoteles, nasci aliquem vitiosum: Scriptura Sacra è contra affirmat. Item 2. *Ethic. Cap. 3.* & 1. M. M. *Cap. 2.* dicit, affectus nec bonos nec malos esse: Scriptura S. contrarium asserit. Denique 3., *Eth. Cap. 5.* Ille pro liberò, Scriptura Sacra pro ferro pugnat arbitrio, qvæ certe aperte sunt contraria. II. Qyod est imperfectum, illud parum prodest, & proinde minimè tolerandum. Sed Ethica Aristotelis. &c. Ergo

A 2

III.

III. A qvocunq; jubemur nobis cavere ne decipiamur eôdem, illud tolerari non potest ; Sed à tota Philosophia (sub qvâ & Ethica continetur) jubemur nobis cavere, ne decipiamur eâdem, ad Col. 2. v. 8. Ergo. IV. Si Scriptura Saera est norma sufficiens operum, necessitas nulla erit Ethicæ Aristotelicæ, & per conseqvens nec toleranda. Jam vero antecedens verum est. Ergo & conseqvens. Flura argumenta vide ap. Meisn. tract. de S.B. p. m. 46. seqq.

§. II. Verum, qvod olim Salvator Phariseis, haud iniquve, Religiosulis hisce reponimus : *O, cæci Duce, hæc oportuit facere, illa non omittere.* Agnoscamus & nos, unicam normam, ut fidei, sic morum, Scripturam Sacram. Fatemur, eandem unicum medium salutis nostræ æternæ : non tamen inde seqvitur, Ethicam Philosophi, vel minus necessariam ac utilem esse, vel prorsus è scholis Christianorum eliminandam. Consulatur Scriptura, nec tamen prorsus negligatur Ethica. Qvod, ut eò facilius demonstremus, seqventia necimus argumenta. I. Omne bonum, Deum veneratur Autorem, & perconseqvens Christianum non dedecet. Ethica Philosophi est per se bona, Ergo. Minor probatur, qvia Ethica Aristotelis, est virtutum rectrix & expultrix vitiorum : at qvî hæc mala esset ? II. Qvod cunq; fundatur in lege naturæ, illud non est exterminandum, sed tolerandum ac excolendum. Sed Ethica Philosophi &c. Ergo. Reliqviæ namq; imaginis Divinæ, & lumen rectæ rationis, sunt semina Ethics. Ad qvod enim, igniculi virtutum nativi sollicitant, illud Ethica penitus describit & cum ratione, præscribit. III. Qvicquid ad Theologiam non modo necessarium est, sed & valde utile, illud ex Scholâ Christianorum profligari non debet : At talis est Ethica Philosophi &c. Ergo. Qvis enim negabit, necessariam esse Theologo, cognitionem humarum actionum, earumq; principiorum ? Qvis noti-

tiâ

tiâ virtutum , aliarumqve qvæstionum inde dependentium, illum carere posse asseret ? Deinde, annon utilitas hæc est singularis (ut cæteras silentii peplo involvamus) si animus noster salutaribus Ethicæ præceptis ac monitis commoveri possit, ad virtutem ? Accedit deniqvè IV. his rationibus, consensus Ecclesiæ Patrum. Sic *Clemens Alexandrinus* l. 1. & 6. *Strom.* *Origenes Hom.* 14. in *Gen.* *Augustinus lib.* 2. de doctrin. Christ. Cap. 13. & 40. nec non l. 1. adv. *Cref.* C. 15. & 20. *Damascenus lib.* 1. aliiqve, qvorum testimonia innuñera allegari possent, tanti faciunt Ethicam, totamqve Philosophiam, ut & in excessu videantur peccare, teste *B. Martino Cent.* 1. *Qvæst. Illust. Phil.* *Qvæst.* 1. Unicum verò , instar omnium esse poterit testimonium, ex *Apol.* A. C. qvod sic se habet : *Aristoteles de moribus, adeò scripsit erudite, nihil ut de his, requirendum sit amplius. Confer. Philippus in Epit. Phil. Mor. p. 7. & Meisn. tract, de S. B. p. 46. seqq.*

§. III. Atqve ita Sententiam nostram , breviter qvidem , sed sufficienter confirmatam esse, censemus. Consequevns nunc est, ut qvid ad opposita argumenta respondendum sit, videamus. Ad I. Igitur, respondemus distingvendo , inter contradictionem apparentem & veram . Aristotelis loca citata , Scripturæ Sacræ sunt contraria non *priori*, sed *posteriori* modo , qvoniam de diversis loqvuntur . Sic qvando 1. *Eth. C. 2.* negat Hominem nasci virtuosum, per vitia intelligit habitus affevfactione contractos , qvos annasci qvis diceret ? Non autem negat naturæ inordinationem, qvam ipse agnoscit, licet ex peccatô oriri, & formaliter peccatum esse, ignoret. Et ita qvoqve nec verè contradicit in *altero loco*, Scripturæ, qvando propter affectus, nec laudari, nec vituperari, nos asserit, qvia loqvitur de judicio civili seu foro *soli* : Scriptura de judicio spirituali seu foro *poli*. Pari ratio-

tione, nec qvoad tertium locum, de *libero arbitrio*, realis est
contradiccio, qvia *Scriptura* spiritu ales: *Hic* morales actio-
nes attendit. Ad II. verò duplici respondemus modo. I.
negando majoris consequentiam. Non enim omne imper-
fectum statim tollendum, sed melius est, qvam nullum, a-
liqvid scire, qvam nihil, præstat, 2. *minorem si in compa-*
ratione ad Sacram Scripturam accipiatur, concedendo; Si
vero in suō genere sumatur, *negando.* Nam finis Homi-
nis duplex, beatitudo *civilis & eterna.* Hunc ergo, licet E-
thica transfiat, ad illum tamen, perfecte nos dicit. Ad
III. Respondemus, loqui Apostolum non de Philosophiâ
ipsâ, sed de ejusdem abusu. Insuper, qvænam qvæso est
consequentia: possunt nonnulli per Philosophiam deci-
pere. Ergo rejicienda est? Si namqvè omne illud tol-
lendum, qvô homines abutuntur, cur non & *Scripturam*
aboles, per qvam Hæretici decipiunt? Cur non ipsum So-
lem è medio tollis, qvô homines usi sunt ad idololatriâ ex-
ercendam? Prout ergo non seqvitur, *Scripturam Sacram*
abolendam esse, qvia eâdem abutuntur Hæretici; Nec so-
lem è medio tollendum, qvia ad Idololatriam eôdem usi
sunt Gentes; Ita pariter nec de Philosophiâ valet, ut tolla-
tur usus, ob ejus abusum. Ad IV. deniqvè respondemus;
distinguendo cum B. Meissnero citatô locô inter *Georgicay* &
Geor. Bœcay. Ad hanc, Ethica simpliciter necessaria non
est, cum alias nemo foret Christianus, nisi simul Ethicus:
ad illam vero *valde.* Toleranda itaqvè Ethica Philoso-
phi in Scholâ Christianorum, non ac si *Scriptura* esset im-
perfecta operum norma: sed ut hanc normam eò me-
lius intelligere, & doctrinam explicare possimus. *Conf.*
Libentib. Colleg. Eth. exercit. I. Qv. VI. Atqvè hæ sunt eti-
am principales adversantium objections, qvarum solu-
tionibus bene cognitis, reliqua *opposuit*, nullô negotiô, di-
lui poterunt.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An nemo qvoad vivit, judicandus sit felix, sed expectandus ultimus
vitæ dies?

§. I.

Solon, Legislator Atheniensium, unus è septem Sapientibus, aliquando à Cræsô Lydorum Rege interrogatus *quis felix videretur?* Primum, nominavit Tellum, qui castissimas habuit filias, qui diu integerimè vixit, qui deniqvè pugnans pro Patriâ, fortissime interiit: Post, secundo interrogatus, Cleotem & Bitonem, qui Hippocratis veluti gemini, se mutuo semper dilexerunt: Iratus tum Cræsus, purpura gemmisque splendens, ascendit solium, minaci vultu, & tertio quæsivit, num unquam vidisset qvempiam, tam gloriose regnantem, quam regnaret ipse? Cui mox respondit *SOLON: debere ultimum expectari vitæ terminum;* nullius enim vitam dicendam esse beatam, donec fata essent peracta. Hanc vocem, Cræsus initio contempsit: At postea, captus à Cyrô, Rege Persarum, ductusqvè ad roguin, ter quâ potuit adstantibus Persis, ingeminavit voce, O Solon, Solon, Solon. Miranti ac scissitanti Cyro, quis Hominum aut Deorum is Solon esset, respondit Cræsus: Sapientum unus, quem mihi hoc malum prædicentem, tumidus ac inflatus rebus superbis, stultissime contempsi. Quô audito, Cyrus Cræsum, non modo liberavit; sed & summis in honoribus, semper habuit, teste Plutarchò in *vita Solonis C. XLVI. & XLVIII.* nec non Herod. lib. I.

§. II. Ex hac bistoriâ, neminem in hac vitâ, nuncupandum esse felicem, plurimi postmodum, tum ob effatum Solonis, tum ob Cræsi exemplum, tum deniqvè maximè, ob *fortuna inconstantiam*, variosqve casus, qui ante mortem sub-

sub oriri facile possunt, colligerunt, idque acriter semper defenderunt. Sic namque Euripides in *Andromacha*: *nunquam*, inquit, *beatum appellaveris quenquam Hominem, priusquam videris vita extremum, quomodo est vita migraverit.* Cui succenturians, opitulatoriam fert manum Sophocles in *Pyndaro*. *Nunquam oportet felicem existimare sortem fortunati Viri, priusquam est vita migraverit.* Qveni excipit Dionysius in *Læda suâ*: *Nullum, ajens, unquam hominem mortalem beatum judices, antequam bene defunctum videris: Morum quippe laudare, tutum est.* Et tandem Herodotus lib. i. *Nondum beatum, inquit, te appello, priusquam bene vitâ defunctum, te audivero.* conf. *Picol. Grad. IX. Cap. XXX.*

§. III. Verum enim verò, nos, his non obstantibus, contrarium asserimus ac defendimus, sequentibus maxime de causis. *Primo*, quia omnino impossibile est, mortuis, beatitudinem Civilem (de qua unice in præsenti quæstione, nobis est sermo) tribuere, cum nullo modo agant, sed agere desinant, & verò hæc felicitas, actio quædam statuatur lib. i. *Etb. Cap. 7. & 13. nec non 10. Etb. C. 6. & alibi.* *Secundo.* An non de quô potest affirmari vera & absoluta causa, de eō etiam recte affirmari potest ejusdem causæ effectus? Jam verò, de virō bonō, dum vivit, potest affirmari vera & absoluta causa felicitatis civilis, nempe actio secunda, quia in utraqve fortunâ, & bonâ & adversâ, manet constans & perpetua ejus voluntas, bene beateque vivendi (unde *περίγωνον* tales vocat Aristoteles lib. i. *Eth. Cap. 10.* qvod in utraqve fortuna sit constans, in *Secundâ* providus, in *adversâ* patiens; instar lapidis quadrati qui firmam habet basim, neqvè facile potest loco dimoveri) Ergo, & recte de eodem ipsâ felicitas Civilis, ante mortem prædicari poterit, sicutque vere & essentialiter erit beatus. *Tertio* denique quot non sequentur absurdâ, si nemo felix in hâc vitâ sit dicendus? Scite non minus & eleganter, quam verè ac
ner-

nervosè, eadern recensuit *Casus Spec. Mor. qvæst. l. 1. C. 10.*
Die mibi, inquit, nonne inanis esset omnis labor & appetitus
in hac vitâ nostrâ? Iterum, nonne otiosa esset legum constitu-
tio, ut Cives beatos faceret? Adbuc, nonne ridicula esset deno-
minatio felicis, cum res nulla sit, quæ nomini respondeat? Ad-
de, nonne misera esset conditio hominis, si navis in quâ vehitur,
tot tantis quæ fluctibus agitata, nullam tandem virtutis ancho-
ram, nullum portum haberet? Postremo, nullus magnes, vis
nulla virtutis, quæ trahit ad Hominem? An nemo casle, nemo
sobrie, nemo studiose vivit? An sumus omnes Chameleonti si-
miles? Quorsum proponitur præmium, si nemo capiat? Quor-
sum laudatur virtus, si nemo cupiat? Quorsum denique doce-
tur, si nemo sapienter vivat? H. J. Unde ex his plus satis li-
qvet, omnino in hâc vitâ Hominem, dicendum esse felicem.

S. III. Sententiam proinde contrariam qvod atti-
net, dicimus, si de felicitate civili exponatur, ob rationes
jam jam prolatas, stare non posse. At verò, si penitus con-
sideretur, nec Soloni nec *Aliis* de eâdem sermo fuit; sed ve-
ra' eorum, vera nostra opinio. Illi namqvè beatum vocant
eum, qui bonis externis satis instruclus est, in vitâ perfectâ.
lib. 10. Etb. C. 3. adeoqvè, de miseria bujus vite disputant.
Nos vero, beatum cum Philosopho I. Eth. C. 7. *πν κατ' αρε-*
την πλείαν εργεντα, eum, qui virtutis perfectæ fungitur
munere, dicimus; sicqve de *virtutis anchorâ* loquimur,
qvam Solonem ipsum, virtuti non denegasse, vel exinde pa-
tet, qvod Telli fortitudinem, Cleobis vero & Clitonis pietâ-
tem commendavit. Qvoad bona fortunæ enim, mille
sunt casus; qvoad bona animi verò, unus & certus est vitæ
humanæ scopus. Hinc, ut evitetur omnis qvæstionis hujus
difficultas, colophonis loco monemus, bene distingendas
esse, binas has phrases; *Eſſe felicem & dici felicem*. Qvoad
felicitatis enim essentiam, felix quis ante mortem vere, esse
potest. Imò omnes qui felices sunt, ante mortem *proue-*

erictum, sunt tales. Qvod vero attinet rō dici *felicem*, sciendum, felicitatem vel considerari *intensive*, prout constitit in sola virtutis actione; Vel *extensive*, qvō pactō bonorum omnium abundantiam reqvirit perpetuam, itemqvē mortem placidam, vitæ anteaetæ respondentem; *Priori* itaqve, non *posteriori* modō, felix in hac vita qvis dici poterit, cum nos lateat, qvid serus vesper vehat, nec Sol omnium dierum occidat; *Conferatur B. Meisn. dissert. de Summō Bonō c. 2. qvæst. 4.*

QUÆSTIO III.

Utrum voluntatis objectum, sit bonum verum, an apparens an verò utrumq;?

§. I.

ANeqvam præsentis *ἀπογνώσιον* & discussiōnem aggrediamur, haud absre fore arbitramur, brevibus in antecessum, qvid sit bonum *verum* qvid *apparens*, prænotare. Dicitur nempe, bonum *verum*, id, qvod, tale est re ipsā, qvale existimatur & cognoscitur, qvodqvē ad finem ultimum tendit. *Apparens* vero, qvod qvidem existimatur bonum, ob qvandam similitudinem, in re tamen non est, & de ultimo fine abducit. Eth. Nic. c. 3. Qvā boni utriusqve definitione prænotatā, de præsenti statim qvæstione notamus, qvod non hodie demum sit mota, sed jam dudum à Veteribus Philosophis, tempore Aristotelis, agitata. Licet enim omnes consentiebant, objectum voluntatis esse bonum; in determinatione tamen hujus boni, num scilicet illud sit *verum*, an *apparens*, valde differebant. Sic *Stoici*, ἀπόλως ἀρχαῖον, seu vere bonum, voluntatis statuebant objectum. *Academici* contra, φαινόμενον γαρ, seu apparens bonum, voluntati *saltem* objici, & apparere volebant. Neutrām verò Aristoteles opinionem approbat,

bat, sed utramq; potius conjungens, bonum, sive id
rum sit sive *apparens*, voluntatis objectum afferebat. vid.
3. Eth. N. C. 4.

§. II. Et certe, quod bonum revera & suâ naturâ
tale, secundum primam opinionem, non possit solummodo,
voluntatis objectum dictum rationum experientia probat.
Sic quotidiè experimur, Intemperantem velle voluptatem,
Ambitiosum nimios honores, &c. quæ certe, bona non
sunt. Sic & ratio docet, voluntatem seqvi mentis cogni-
tionem. Mens auten saepe umbram rei, pro re ipsa ap-
prehendit, pro bono, futuram boni speciem indicat. Un-
de Aristoteles, L.1. Metaph. T.36. *Appetitus*, inquit, *res quia
bona videntur*. Quod vero, nec secundum alteram opinio-
nem, bonum φαύόπερον, ταῦτα, voluntatis sit objectum, se-
quentia, quæ inde maximè pronanant absurdita, satis evin-
cunt. Primo enim, seqveretur nihil suâ naturâ esse bonum,
sed omne quod expetitur, opione tantum tale esse. Se-
condo, cum haud raro diversis Hominibus, immo eidem Ho-
mini, diversis temporibus, tum diversa, tum contraria,
videantur bona esse, seqveretur, Homines, diversa & con-
traria velle; & ita, voluntatis nulum certum esse obje-
ctum, quod tamen ἀπό της αλογίας. Prout enim, reliqua
actionum principia, certum aliquod habent objectum; Ita
voluntas quoque, certum suum habeat objectum, nece-
sse est. Tertio denique; intellectus noster semper erraret,
ac nunquam in veram rerum cognitionem perveniret, sed
omnis generis mala, sub specie boni, apprehenderet. Con-
fer. Aristot. l.3. Eth. c. 4.

§. III. Cum ergo constet, nequæ bonum verum, ne-
quæ *apparens*, solum voluntatis esse objectum, & tamen o-
mnium consensu, illud bonum sit, medium cum Aristote-
le cit. loc. amplectimur sententiam, ac tum revera ac abso-
lute bonum, tum, quod cuiquæ videtur bonum, voluntatis
esse

erici objecum defendimus; Ita tamen, ut Virum bonum, verè semper bonum; Malum verò, jucunda pro bonis, doloremq; pro malis appetere, insimul afferamus, *conf.* *l. 10. Etb. c. 10.* Esse vero utrumq; hoc bonum, & non alterutrum, objectum voluntatis, ulterius, duobus argumentis ex Philosopho petitis, confirmamus. *Primo, similitudine.* Quemadmodum enim corpori probe affecto, ea videntur salubria, qvæ reverà & suâ naturâ sunt talia; Itemq; amara, dulcia, calida, gravia, & cætera omnia: e contra verò, morbo affecto, dulcia amara, & amara dulcia. Ita quoq; Viro bono, qui recte animo est affectus, id, qvod suâ naturâ bonum est, etiam bonum videtur; Improbo vero, & malum, bonum apparet *Secundo ex adjunctis.* Vir enim bonus, qvia ex habitu bonitatis, quem habet, judicat, & est norma ac regula rerum omnium; verè de singulis rebus judicat, & statim, qvi in re qvavis revera sit, perspicit. *lib. 10. Etb. c. 6.* Improbi vero, ut pleriq; homines, cæcâ dueti voluptate ex eâdem iudicant de bono, eandemq; ceu bonum appetunt; dolorem autem, tanquam malum fugiunt; indeq; bonum tantum apparenz, bonum iudicant. *Conf. Picol. Grad. 2. Cap. 29.*

QVÆSTIO IV. Num dentur Homines naturâ servi?

Controversia hæc de servis natura, & olim, & hodie, inter JCtos ac Philosophos, valde controversa. JCTi namq; servitutem juris esse Gentium, Hominumq; naturæ repugnare, sentiunt. Ita enim fancit. Imperator *Digestis de U. S. & Florentinus lib. 4. Digesti de Stat. Hom. Servitus est constitutio juris Gentium, qvâ quis dominio alieno, contra naturam subjicitur.* Serui autem, inquit idem, ex eo appellati, qvod captivos vendi Imp. ac per hoc servare nec occidere,

cidere, solent; qvi & mancipia dicuntur, qvod ab hostibus manu
capeantur. Conf. Ulpian. in C. 4. de just. & Jur. nec non Martian.
l. s. in pr. de Stat. hom. §. Penult. instit. de Jur. Pers. Et videtur
qvoq; hæc opinio, servitutem scil. non dari naturâ, his posse
probari rationibus. Primo, qvia servitus pæna est peccati.
Sic namq; Augustinus lib. 19. de Civ. Dei Cap. 15. Nullus autem
inquit, naturâ, in qua prius Deus Hominem condidit, servus est
Hominis aut peccati. Verum pœnalis servitus, eâ lege ordinatur,
qua naturalem ordinem conservari iubet, perturbari vetat;
qvia si contra eam legem non esset factum, nihil esset, pœnali ju-
re coercendum. H. J. Jam vero, si omnis pæna contrâ
naturam Hominis est, & servitus contra naturam erit, nec
per conseqvens, servi erunt naturâ. Secundo, qvia naturâ
omnes Homines nascuntur æquales, seu æque liberi, teste
Plaut. in Aul. & Pbil. in lib. de vit. contempl. Tertio, qvia na-
tura semper id, qvod optimum est intendit. At vero longe
melior est libertas, quam servitus. Quartò deniqvè,
qvia multi alias Reges, Principes, ac Magnates, Servi es-
sent naturâ, cum haud raro contingat, eosdem valde im-
becille ac cœcam habere naturam, qvod tamen absurdum.
Plures rationes vid., ap. Aris. lib. 1. de Repub. Cap. 3.
sect. 3. nec non ap. Liebenthal in Colleg. Pol. exercit. 3. qvæst. 3.

§. II. Contra, dari servos qvosdam naturâ, & ser-
vitutem qvandam ex jure naturæ esse, Aristoteles lib. 1. Pol.
cap. 5. ac tota Peripateticorum schola, unanimiter asserit,
strenuèque contra JCtos defendit, his maximè argumen-
tis. Primo, qvod indoli & naturæ cujusqvè rei convenit,
non potest non, naturale dici. Jam, qvotidiana compro-
bat experientia, duos ubiqvè Hominum clasles inveniri,
qvorum alii ad serviendum, alii ac dominandum nati, Ergo
&c. Sunt enim Homines, qvibus natura usum fermè dene-
gavit, qvandoq; etiam brutis, quam Hominibus, fecit si-
miliores, adeò, ut non tam propriam habeant, quam alio-

rum sequuntur rationem. Inde recte Busbeq. in Epist. 3.
Libertatem, inquit, *omnes ferre non possunt. Non enim omnes ita nati sunt, ut se regere & suò arbitriò recte utisciant, sed melioris ductu atq; imperio, tanquam ad miniculò opus habent;* nullum alioquin peccandi finem facturi, ut sunt quædam bestie, quarum ferocitas semper metuenda est, nisi vinculis & robore coercentur. H. J. Et Aristoteles lib. 3. Pol. C. 10. & s. Pol. C. 10. nec non 7. Pol. C. 10. in hunc ordinem secludit omnes Barbaros, & ex Barbaris Asiaticos magis quam Europæos; quemadmodum Agesilaus de iisdem dicere solitus; *servos quidem bonos esse, sed liberos malos.* Sunt è contrario, quod tenerò quidem corpore, & aliquando etiam infirmo, sed magnis animis & providâ solertiâ, natura instruxit. Qvod innuere voluit Plato 3. de LL. quando, *Imperantium animis, ait, admixtum fuisse in primâ generatione aurum, unde honoratissimi facti fuerint.* Ergo. Secundò, servos quosdam esse naturâ, & inde facile probatur, quod Dominus, servis necessario in re familiari indigeat, & illis, nullò modô carere possit. Qvia vero natura, rerum omnium provida est Mater, quæ in rerum productione, necessitatem & utilitatem sibi habet propositam, nequè deficit in necessariis. Hinc & servitus secundum naturam erit. Denique Tertio, qvia in omnibus rebus, quæ pluribus constant partibus, semper naturâ ita comparatum est, ut melius imperet, deterius pareat, quemadmodum illud Philos. cit. loc. inductione rerum omnium, tam animatarum quam inanimatarum erudit satis deducit. Sic (ut de animatis, hâc vice saltem illud evincamus) in Homine, qui constat animâ & corpore, perspicue cernere licet hanc distinctionem, nimirum, animam imperare, corpus parere & servire, naturâ duce. Imo, in ipsa animâ, distinctione hâc locum habet. Est enim ibi mens & cupiditas: Illa imperat, hâc servit & paret, diverso tamen modô. Nam animæ in corpus imperium

perium est *berile*, mentis in cupiditates, est *civile*. Similiter, si Homo & cætera animalia conjungantur, *natura* consentaneum est, ut Homo imperet, cætra animalia parereant, qvia universe hoc potest affirmari: *Naturam tribuerre omnibus præstantoribus in deteriores imperium & dominatum*. Idem in sexu qvoq; conspicimus: ubi namq; Mas & Fœmina conjunguntur, ibi Mas secundum *naturam* imperat, & Fœmina paret. Si itaq; multos in una familia conjungi necesse est, *naturaliter* qvoq; justum erit, ut ibidem sint Imperantes, & parentes *l. i. Pol. c. s.*

§. III. Qvod attinet JCtos, nec non rationes in contrarium prolatas, & *Illos & has*, nostrâ cum sententia ita facile conciliari posse autumamus. *JCtos* qvidem cum *Heiderol. l. i. Pol.* nec non *Libenthal. Exercit. 3. Coll. Pol. qvæst.* 3. aliisq; non contradicere Aristoteli sentimus, propterea, qvod diversa sint propositionum subjecta. Sententia Aristotelis est: *Servitus naturalis*, oritur ex natura: *JCtorum* vero, *servitus legalis*, non oritur ex naturâ, qvæ non pugnant. Ubi nota, loqui *JCtos* præcipue de servitute, qvali jure gentium obnoxii olim fuere belli capti, in qvos Domini, jus vitæ ac necis habebant. *Conf. Thom. Annot. Pol. ad tab. 35.* Ad rationem *primam* vero, respondemus, illam de statu ante lapsum veram esse, in qvō si primus Homo permanisset, nulli posterorum servi, sed liberi fuissent. Post lapsum verò, discrimin hominum introductum est, qvemadmodum posteritatem Chami, in servitutem fratrum damnatam legimus Gen. 9. Ideoq; nèc sine nutu divino & hodie fieri putandum est, qvod qvidam adeo stupidi nascantur, ut non idonei sint, qvi regant se ipsos, nedium alios, sed perpetuo ductore opus habeant. Ad *secundam* regerimus, valere eandem de libertate, qvæ pro facultate accipitur, qva agere & non agere possumus, qvæ tamen tam animalibus brutis perfectioribus,

qvam

quam hominibus ad serviendum natis competit. Unde, prout interim nemo negat, naturā tamen subjici hominibus animantia bruta; Ita nec negare poterit, secundum naturā, homines, servituti destinatos, qui, prout Arist. cit. l. loquitur, prope ad naturam brutorum accedunt, servituti subjici. Ad Tertium, respondemus distingvendo, inter intentionem naturae primam, & secundam. Intentione primā, natura id quod optimum est, tantum intendit: secundā verò intentione, & id, quod non est optimum, dum scilicet id quod primo intendit, ob materiae contumaciam, vel aliam aliquam ob causam, consequi non potest. Et ita pariter, instruit quodam mente stupidā, dum eos solerti ac vegeta, instruere non potuerit, voluitque illos servire. Ad Quartum denique, iterum respondemus distingvendo, inter Regem (in quod tamen non unum Hominem, sed totam civitatem intelligimus) & Plebejum. Nam, et si in Rege desit quædam vis rationis, non tamē eidem, quia persona est civitatis, ulla ratio vel virtus deest, cum per Vicarios ac Confiliarios, qui publica regunt, naturae defectus omnis, facile suppleri possit. Plura de hac questione V. ap. Arist. I. Pol. C. 5. Kekerm. Syn. prud. & con. C. 4. nec non ap. Casum, in Spb. civit. l. I. C. 3. p. 26.

QVÆSTIO V. An MONARCHIÆ, præ cæteris Rebus, debeatur prærogativa?

Cum tres sint bonæ ac simplices Rerum formæ, Regnum scilicet seu Monarchia, Aristocratia, & Democratia sive rectius Politia, itemque ex his mixta bona, teste Philos. I. Pol. C. 7. haud immerito quæritur, quænam harum præstantissima sit Politia? In quâ quæstione deciderâ, maxime variant Politicorum sententiae. Alii enim, pro-

§. I.

Mo-

Monarchia, multi pro Aristocratiâ, nonnulli pro Democratia, qvâdā des-
niqvè, pro mixto Reip. Statu pugnant. Qui pro Monarchia pugnant, se-
quentia producunt argumehtā. Primo, qvia Monarchicus Status est anti-
qvissimus, teste Just. l. I. C. I. Salust. in Catil. 4. Cic. l. 3. de leg. C. 1. & l. 2.
off. C. 12. nec non Arist. l. 4. Pol. C. 3. Secundo, qvia est divinissimus Status
4. Pol. 2. ad Dei imperium, proximè accedens. Ulti enim unus Deus est, qvi
pro liberrimâ sua voluntate, universum mundum, tanquam Provinciam
qvandam regit, ut tradit Phil. l. de mundo C. 6. Ita in regnô unus est, penes
qvem imperii summa. Tertio, qvia maximè naturalis est status. In pluri-
mis enim rebus naturalibus, regni simulacrum reperimus. Sic Apiculis,
Rex unus est; Armentis, Rex unus, Gruibus, Dux unus. Sol unus, regit diem,
una Luna, regit noctem. Quartò, qvia Tranquillus est status & minimè mu-
tationi obnoxius. Rarius enim unus, sàpissimè multi secum dissident; &
plures Gubernatores, licet artem noverint, tamen sibi invicem sunt impe-
dimento. Unde Tacitus l. 2. ann. Pacis, inquit, interest, omnem potestatem
ad unum conferri. Et paulo post: Non aliud discordantis Patriæ remedi-
um fuerit, qvam ut sub uno regeretur. Accedit deniqvè quintò, consensus
plurimarum gentium, qvæ statui Monarchico, semper primas detulerunt.
Nam & illæ Gentes, qvæ statum Aristocraticum vel popularem amarunt,
ubi ingruerent pericula, statim ad unius imperium confugiebant. Hinc
teste Phil. 3. de Rep. c. 14. fluxit imperium Äsymneticum. Et Spartani, sum-
mam potestatem Regi suo, tempore belli concedebant. l. 2. Pol. C. 7. conf. P.
Greg. l. 13. de Rep. C. 4. nec non Patric. l. 1 de Regnô t. 3. aliig.

S. II. Pro Aristocratiâ verò pugnantes, seqventibus fere maxime
muniunt argumentis. Primo, qvod ipsum nomen indicet prærogativam,
dum in ea æ 150, id est, optimi, imperant. Secundo, qvia pauci illi in
Aristocratiâ, tam facile corrumpi non possunt, in bene administranda Rep.
qyam unus aliquid, licet virtute egregia præditus; cum & ipsi, rectius ju-
dicare possint de rebus civilibus, præsertim singularibus, in qvibus admini-
stratio civitatis versatur. Tertio, qvia ipsa natura, nos ad Aristocratiam
invitat. Nam pleraqvè Regna, Consiliarios admittunt, & sic vix fieri po-
test, ut in unô tot reperiantur virtutes, tantaq; prudentia, qvæ sola sufficiat
Reip. gubernandæ. Quarto, qvia plurimi populi, hanc gubernandi formam
civitatis suis accommodarunt. Sic Romani exactis Regibus, summam
rerum ad optimates detulerunt. Liv. l. 2. Halic. l. 4. Bod. l. 6. c. 4. Itidem
Galli & Ädui Cæs. l. 6. & 7. bell. Gall. nec non Massilienses Stra. l. 14. Qvin-
tò deniq; ita colligunt; causa, ob qvam civitatis imperium creditur, hæc est:
C qvod

qvod Ille, omnes alios sua virtute superet; at verò si duo vel plures sint, quorum singuli, unijlli per omnia sunt æquales, quis duos pluresvè, uni non præferret?

§. III. Pro Politiae prærogativâ pugnantes, hæc præcipuè adducunt argumenta. *Primo* ex naturæ instituto & æqualitate, secundum justitiam distributivam. Videtur namqùe naturæ & justitiae repugnare, uni alicui, perpetuam in alios concedere potestatem, maximè, cum civitas ex similibus & æquilibus constet, æquilibus autem, eadem dignitas ac idem jus competit. Unde æquius videtur esse, ut omnes per vices imperent & pareant, qvod in Politia obtinet. *Secundo*, tanta regentium multitudo, non adeo facile corrumpi potest, quam unus vel pauci. *Tertio*, omnes naturaliter liberi nascimur, libertas autem maxime in hac Reip. forma servatur. *Quarto* deniqùe, *Arist. l. 6. Pol. C. 2. & seq.* summis evehit laudibus Politiam, adeò, ut & reliquis omnibus, ipsam præferre videatur.

§. IV. Tandem, neqùe Illi, qui ceteris Rebus pub. mixtam præferrunt, suis destituantur rationibus. Dicunt enim, *Primo*, qvamlibet formam simplicem, mixtae Reip. contribuere id, qvod optimum est. *Secondo*, immunem esse à plurimis periculis, qvibus subjectæ formæ simplices, Non enim metuendum esse, ut veluti Monarchia, degeneret in Tyrannidem: vel ut Aristocracia transeat in Oligarchiam; vel deniqùe ut Politia, in Democratiam. *Tertio*, plurimas Gentes & olim eandem prætulisse reliquis; veluti Lacedæmonios aliasque: & hodie, eandem præferre, veluti Venetos, Genuenses, &c. *Quarto* deniqùe, reliquis eandem longe durabiliora & perfectiorem esse, non secus ac Corpora mixta simplicibus, longe perfectiora sunt ac durabiliora. *Conf. l. 2. Pol. Arist. C. 6.* nec non *Polyb. l. 6. hist. C. 1.*

§. V. Nos pro decisione nobilis hujus controversiæ, cum *Arnis* *ab Lz. de Rep. C. VII. sect. i. Wendelin* *l. 2. dofr. Pol. C. XXVIII.* ac plerisqùe Politicis, hanc adhibendam putamus distinctionem. Reipublicæ scil. formam considerari vel *absolute*, ex ipsâ naturâ rei, seclusa circumstantiarum consideratione; vel cum *respectu*, ad certos temporum, locorum, ac Personarum conditiones & circumstantias. *Priori respectu*, Monarchia primum locum esse deferendum, ob rationes supra allegatas Vid. *Lip. l. 2. Pol. C. 2. Posteriori*; modo hanc, modo illam, præstantiorem esse; prout modò hæc, modo illa, accommodatior est, his vel illis locis, temporibus ac personis. Populorum enim *aliij*, rectius & facilius reguntur *Monarchice*, ii scilicet, qvibus vel naturâ vel consuetudine insitum est, ut unius Viri Præstantissimi imperio, civiliter pareant; *Alii* verò, rectius ac facilius reguntur

Aristo-

Aristocraticè, qvibus scil. natura insitum est, ut pluribus ad imperandum idoneis obseqvium præstent. Nonnulli porrò ad Politiam aptiores sunt, naturā scil. ad bellum idonei, & ad parendum vicissim, ac imperandum. Vesanæ denique multorum dominandi ac opprimendi subditos libidini, aptior est status mixtus vid. Tholoz. l. 3. de Rep. C. 3. & Bod. l. 6. de Rep. C. 4.

QVÆSTIO VI. Utrum Stratagematibus, uti liceat in Bello?

§. I.

Consiliis maximè opus esse in bellò, non minus eruditè, qvàm verè, testatur *Iust. Lips. l. 5. civ. doctr. C. 17.* Sine his, inquit, omnis bellorum apparatus est fumus, omnes viri funus. Nam quotidiana docemur experiētiā, plerumqvè consilium, plus expedire rebus bellicis, qvam arma. Unde apud *Salust. Imperatori bono*, inquit Fabius, haud magni momenti fortunam esse, mentem rationemque dominari. H. J. Cum vero teste Lipsiò loc. cit. consilia bellica, duplicitis sint generis, vel *Recta*, qvæ planam & militarem viam ineunt: Vel *obliqua*, qvæ occultam, & fraudium ac astutus semitā grassantur, græcanicā voce, *Stratagemata dicta*, de posterioribus in præsentia qværitur, utrum ipsis in bello sit locus. Multi, eadem omnino damnanda ac rejicienda esse, his probant argumentis. Primo, qvia bona fidei è diametro sunt contraria, teste *Floro lib. 1. c. 12.* Vir enim sapiens, sciet veram esse victoriam, qvæ salvā fide & integrā dignitate comparatur. Ubi autem dolus, ibi qualis fides? Secundo, qvia fortiter hostis est, debellandus; Ubi vero ejusmodi consilia obliqua adhibentur, ibi nullus fortitudini locus est. Tertio, qvia veri militis & viri est, palam, & armis, ulcisci hostes suos, non fraude aut occultis, ut loquitur *Tacit. 2. ann.*: A qvō etiam haud absrudens *Eurip. in Rhei. Vir nemo*, inquit, altæ mentis, clanculum vult occidere hostem. Unde Achæi, in tantum abhorruisse leguntur hujusmodi machinationes, ut nec infensissimum hostem, voluerint iisdem vincere; censentes, neque splendidam, neque firmam ullam victoriam, nisi quis palam & ex condicō depugnans, amicos qvoqve dejecisset adversariorum. Vid. *Polyb. lib. 13.* Et Legatus Helvetiorum, qvondam ad Cæsarem missus, ait de Helvetiis, eos ita à Patribus Majoribusqve suis didicisse, ut magis virtute, qvam dolō, contenderent. Cæsar. l. 1. Plura argumenta videantur. ap. Schonb. l. 6. polit. C. 10. q. 34. & ap. *Tipl. l. 4. Pol. C. 10. qv. 34.*

§. II. Alij verò, rectius sentientes, usum consiliorum horum callidorum,

dorum, non modo approbat, sed & licitum esse atqve honestum, tam ex historiis sacris ac profanis, quam ex rationibus probant ac evincunt. *Primo* namque, Deus ipse iis uti mandavit Iosuæ & Davidi, Ducibus sanctis. *Illi* enim præcipiebat, ut civibus Aemeticis insidias struat *Jos. 8. v. 2.* *Huic* verò, ut Philistæos à tergo adoriantur *2. Sam. 5. v. 29.* Unde Augustin. *sup. Jos. C. 10.* cum Iussum bellum, inquit, suscipitur, aut aperte pugnet quis, aut insidiis, nihil interest. *Secundo*, naturalis ratio svaldet, longe tutius esse & melius, astutia & calliditate hostem superare, quam præliò, utpote in qvō, multorum hominum sanguis profunditur, ac Civitates & Regiones, incendiis vastantur & absumuntur. Hinc & longe glorioiores *Lacedæmonii* viatores stratagematis partas ducebant, quam cruentas. Nam cum stragemata hostem superassent, Marti, bovem immolabant; cum verò vi apertâ, gallum. *v. Plut. de Laced.* nec non *Crag. l. 3. de Rep. Lac.* Hinc Polyor. *¶rat. 1.* nec non *Veg. l. 3. C. 9.* summam, dicunt, *Ducum esse gloriam, sine præliò victoriam potiri.* *Tertio*, prudentiæ hæc sunt effecta, qvæ non minus laude digna, quam effecta fortitudinis: et si nec illis, fortitudo qvædam defit. *Quarto* deniqvè, nihil ad justitiam interest, utrum aperta pugna, an insidiis, Hostis vincatur. Nam *juxta tritum illud: Dolus an virtus, quis in hoste requirat?* conf. *Contz. 10. Pol. cap. 38.* nec non *Libenth. coll. Pol. exercit. XIV. qvæst. VIII.* & alii.

§. III. Ut tamen luculentior sit, qvæstionis hujus resolutio, sequentibus eam includimus propositionibus. *Primò*, Hostis sit, in quem stragemata usurpantur, & quem perdere, mos fasq; est. *Secundò* fortior qvæque, magisqvè militibus sit instructus. *Tertiò* deniqvè, non sit foederatus, quem alias fallere, non solum injustum, sed & impium: *Ageſil. ap. Plut. in Lacon.* Qvibus propositionibus præsuppositis, ita ad argumenta contraria respondemus. In *primo*, negando stratagemata illa, qvæ nos licita defendimus, bonæ fidei repugnare, qvia in iis, fides data non violatur, sed arte improvisâ hostis opprimitur. Ad *secundum* verò, dicimus, perinde esse, sive armis cruentis, sive consiliis prudentibus, hostis vincatur. Ad hæc, nulla via magis est optabilis ac felix, qvā qvæ sine sanguinis profusione, reportatur. Ad *Tertium* deniqvè regerimus, utrumq; viro decorum esse, vel vi occultâ vel apertâ Hostem ulcisci: cum illâ, prudentiæ, hæc verò, fortitudinis sibi laudem acquirat. *Addē*, nec consilia hæc occulta, ab omni exulare fortitudine, maximè, cum plurima magnum reqvirant animum, eò, qvod non sine maximo tententur periculo. Conf. *Wendel. doctr. Pol. c. XLIV. Thes.*

IV. nec non Adam. Contzen. l. 10. c. 38. aliqd.

Τῷ Θεῷ μόρφη δόξα.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn732448107/phys_0024](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732448107/phys_0024)

DFG



the scale towards document

*Vi Es mancipia dicuntur, qvod ab hostibus manu
Sulpian. in C. 4. de just. & Jur. nec non Martian.
t. hom. §. Penult. instit. de Jur. Perf. Et videtur
nro, servitatem scil. non dari naturâ, his posse
ibus. Primo, qvia servitus pæna est peccati.
gustinus lib. 19. de Civ. Dei Cap. 15. Nullus autem
in qua prius Deus Hominem condidit, servus est
scati. Verum pænalis servitus, eâ lege ordinatur,
ordinem conservari jubet, perturbari vetat;
im legem non esset factum; nibil esset, penaliju-
. H. J. Jam vero, si omnis pæna contrâ
unis est, & servitus contra naturam erit, nec
s, servi erunt naturâ. Secundo, qvia naturâ
es nascuntur æqvales, seu æqve liberi, teste
Pbil. in lib. de vit. contempl. Tertio, qvia na-
, qvod optimum est intendit. At vero lon-
libertas, qvam servitus. Quartò deniqvè,
s Reges, Principes, ac Magnates, Servi es-
m haud raro contingat, eosdem valde im-
becam habere naturam, qvod tamen absur-
ationes vid. ap. Arnis. lib. 1. de Repub. Cap. 3.
p. Liebenthal in Colleg. Pol. exercit. 3. qvæst. 3.
contra, dari servos qvosdam naturâ, & ser-
vam ex jure naturæ esse, Aristoteles lib. 1. Pol.
eripateticorum schola, unanimiter asserit,
atra JCtos defendit, his maximè argumen-
od indoli & naturæ cuiusqvè rei convenit,
naturale dici. Jam, qvotidiana compro-
, duos ubiqvè Hominum classes inveniri,
servendum, alii ac dominandum nati, Ergo
Homines, qvibus natura usum fermè dene-
ve etiam brutis, qvam Hominibus, fecit si-
ut non tam propriam habeant, qvam alio-
rum*